

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro. 14. (Neovidensis 1808. Nro. 11.)

## *Sermo Politicus.*

*Elysium Meum. - Die Veneris. 19. Feb. 1808 (Neöv. 2. Feb. 1808.)*

### Textus

Eheu! quam nigra es, dicebat cacabus ollæ.

*Prov.*

**T**ume inani superbia, Arrogantula! est enim, cur te efferas: dicebat nuper cacabus igni adstans ollæ, quæ cum atrum liquorem fabæ arabicæ contineret, effervescere minabatur. Ostentas enim fructum, quem mancipium in ignota nobis antea orbis parte plantavit, quæ esca nostris voluptuaria paretur. Ego qui præter lac nihil habeo, utpote genuinam patriæ nostræ sobolem, sum honestus cacabus. Nam posteaquam id ab Hungara vacca emulsum, & in me infusum est, huc ego ad paternum focum delatus ignique admotus non nunquam eodem intumesco, non arrogantia, sed genuini succi mei virtute, qui non dum ita enervatus est, ut quidam existimant.

Tace, inquit Daphne Mezereum (arbor Indiæ ferens piper) quæ causam suæ popularis fabæ susceperat. Vide, quis nostrum sit felicior, si enim Europa aliquando exclusus fuero, omnes stomachi pejus valebunt,

quin tamen illis mederi possis. Ita nempe his asuescere durum est.

Fabula hæc, si qua est, servire potest ad considerationem faciendam super mercibus extraneis, earumque ad ditiones nostras influxu: seu quod idem est, ad demonstrandum quam his carere possimus.

Russia & Austria illud egerunt, ut Angliam ad ineundam pacificationem pertraherent: omnis opera impensa est: quo ad hunc communiter desideratum finem, & non solum Europæ sed universo orbi necessariam quietem pertingatur. Verum nullæ representationes, nullæ diplomaticæ propositiones, nulla liberalior idea Londini locum reperit. Dominus Canning est ferro durior Politicus: firmus enim & contumax in suo systemate perseverat, quem, utpote ferreum, nihil emollire possit.

Gallia de hoc politicæ statu edocta, id suis fœderatis perscripsit. commercium ex eo optimum & pessimum cepit emolumentum: nam simulatque id detectum est, pretium mercium extranearum quovis momento increescere cœperat. Fabarum arabicarum libra duobus pæne florenis pluris vendebatur, quodsi hic rerum status permanserit, ut divinari potest, pretium illarum augebitur, denique nec haberi poterunt,

*Londino die 20. Jan. 18.* hujus Dominum de Heregle Vienna Londinum missum, jam revertisse, qui legato Austriæ Comiti a Stahremberg mandata tulerat, ex hanc urbe deceden-

di. Cui convenienter is hodie adhuc vesperi aut cras mane discessurus est. Iter autem Viennam per Parisios suscipiet, siquidem ejus consors, quæ hætenus Bruxellis morabatur, illum expectet. Quo discedente secuturam esse belli denuntiationem dubitare non licet. Idem nuntius jam effective hinc heri Parisios discesserat.

Heri Lord Major Civitatis Londinensis occupationem Insulæ Maderæ promulgandam curavit. Quæ cum antea fuerit sub potestate Portugalliæ Regis postremi & unici Angliæ fœderati, quid est, quod eam rem, quam cessione potius, quam virtute Anglia obtinuit, tanto cum strepitu notam esse voluerit? An non hæc vana est gloria? Sed hoc est unicum solatium Angliæ vini poteribus: Qui cum antea vino Portuano delectarentur, modo occupata Portugallia ejus defectum vino Maderæ supplere conabuntur. Proficiat!

Sed si bello maritimo brevi finis non fuerit impositus, sique merces exteræ a continente exclusæ, quæstio est: Quid porro jentaculi loco sumemus, & quo pacto defectum fabarum arabicarum resarciemus. Lac non cuivis stomacho conducit. Jus autem e vino aut cærevisia paratum, quo majores nostri ante usum Caffee (id A. 1644 instar pharmaci adhibebatur) delectabantur, ob diversa, quibus eget condimenta fere majoris constat, quam sumtuosus Caffee potus Crematum et alii liquores arte facti solis senibus, si moderate sumantur, utiles esse pos-

sunt, junioribus vero, partim ob pravam, quam generant, consuetudinem, partim ob vim causticam, quæ eis inest; exitiales evadunt. Quid igitur jentabimus?

Vox hæc jentaculum secundum germanicam ejus denominationem (*Frühstück*) indicat, nobis mane aliquid solidi ad imitationem majorum nostrorum, qui hanc vocem in perennem rei memoriam composuerunt, sumendum esse. Nimirum frustum panis aut carnis: idque in vinum, cærevisiam aut lac intinctum, hoc enim est verum & solidum jentaculum. Et huc nobis deveniendum erit, si bellum navale, uti sperare non licet, finem non acceperit. Etiam colores, quibus vestes nostræ tinguntur, mutare oportebit. Sublatis enim coloribus extraneis cogemur his similes e regno vegetabili aut minerali nostros substituere.

Quam vehementer invecio mercium Anglicarum in Hollandia interdicatur, patet ex hoc edicto.

*Ultrajecti 29. Jan. Art. 1.* a die factæ promulgationis hujus edicti portus nostri regni omnibus & singulis navibus, quocumque nomine adveniant, interdicti sint, idque tandem, quoad aliud decretum non fuerit. *Art. 2.* Hinc excipiuntur neves armatæ eorum, qui nobis fœdere junguntur, aut neutralium potentiarum; quibus liberum sit eos adire, Resque hostibus ereptas, aut a se advectas distrahere. Ita tamen *Art. 3.* ut hæc, si ad efugiendas hostium manus portus nostros su-

bierunt, nulla cum aliis in regno degentibus commercia foveant, commendantibus subsint, quibus obligatio imponitur eas primo quoque tempore dimittendi. 4. Minister rei bellicæ denominet magistratus, qui sedulæ horum executioni invigilent. 5. Piscatores immediatæ inspectioni civilium & militarium jurisdictionum subsint, quæ subsevero onere responsionis curabunt, ne aliqua cum hostibus communicatio per piscatores foveri possit. Eum in finem cuilibet navi piscatoriæ addatur miles, qui ubi navis redierit, si qua hujus decreti facta est prævaricatio, id detegat.

In principio hujus Decreti 23. Jan. emanati dicitur: Considerantes, quod hoc Europæ statu omnes populi summa virium suarum intensione concurrere debeant ad victoriam Continentis & terminandam eam pugnam cujus exitus non potest esse dubius. Considerantes nostri esse muneris, & comoda fidelis populi nostri id exigere, ut desiderio Imperatoris Galliarum & Italiæ Regis eo in genere non solum faciamus satis, sed ejus etiam spem superemus. Considerantes, ea omnia, quæ jure & titulo indemnitate a nostro regno desiderari & expectari possint, unice ab interpositione Galliæ dependere &c.

Cum rex ab eo tempore, quo hic est, semper melius valeat, spes est fore, ut perfecte restituatur.

Ministeria commercii, coloniarum, & rei navalis unita sunt; unde plerique putant

Ministeria internorum & externorum negotiorum unum iri. Idque solius œconomiae causa: quod cum alias sæpe tum vel maxime hoc tempore est necessarium, quo & commune lucrum cessat, & multa damna exundationibus illata sunt.

*Hafnia. 23. Jan.* Juxta relationes a nautis factas 19. Jan. dicuntur ad Gottenburgum 5 naves bellicæ Anglorum advenisse, quarum una linealis et una subsidiaria fuit. Galliae Commendans portus Varmundæ mandatum accepit, ne ullam navim dimitteret prius, quam scripta singula per Generalem Molitor perlostrarentur.

Princeps Coronæ Daniæ in comitatu Principis Hassiæ Christiano die 25. Jan. Hafnia Chilonium feliciter pervenit.

*Regiomonto. die 18. Jan.* Suas Regias Majestates biduo ante non sine maximo inclementium solatio redivisse. Propter quod civis ad contestandum suum adfectum eos fecerunt ordines, ut hesternæ die omnes totius urbis pauperes cibo & potu liberaliter reficerentur.

*Wratislavia 27. Jan.* Sua Majestas regia Belliduci de Prittwitz Commendanti nigræ Husarorum Legionis ob fideliter præstita postremo bello obsequia ordinem rubræ Aquilæ concessit, eique insignia hujus magni ordinis submisit. Manifesto indicio, quantopere Monarcha noster merita remunerari soleat.

*Parisiis 27. Jan.* Princeps Borussiae Wilhelmus & Russiae Legatus Comes de Tolstoinuper simul apud Principem Archi Cancellarium praesi sunt.

*Herbipoli 2. Febr.* Die 1. Jan. erat festivitas, qua anniversaria dies aditus ad Regimen Suae Caesareo Regiae Serenitatis Archi Ducis non solum in hac urbe, sed etiam per universam provinciam celebrabatur. Pridie complures tormentorum explosiones in arce sollemnitatem illius diei annuntiarunt. Altero mane hora diei 6. fragor tormentorum & concentus musicae militaris cives es omno exoitavit. Hora nona militia Archiducalis & civilis locis destinatis congregata fuit, a quibus hora 10. ad Cathedrallem Ecclesiam processum est. Quo praeter nobilitatem, & summa Dicasteria frequentissimus populus confluit, ad gratias agendas omnium bonorum largitori Deo pro iis beneficiis, quae jam Archi ducatus iste sub hoc amato Principe percepit, utque novae preces pro longeva illius incolumitate funderentur. Duo enim jam effluxere anni, quibus universa haec regio nova vita perfruitur. Et dum quivis commoda hoc tempore percepta animo reputat, fieri non potest, ut non divinam laudet providentiam, quae in persona hujus justis & amati Principis tam benignum eis patrem concessit.

in eadem hac Officina Belneyana se-  
quentes, praeter complures alios, li-  
bri venales prostant:

**P. Basilii Alexiovici sermones Sacri, festi-  
vales et Dominicales, jam ex integro parati  
sunt, V. Tomis 8. maj. possuntque haberi  
Posonii in hac Typographia, Pestini apud  
Eggenberger, et Kiss Bibliopolas, ab 8 fl.  
quavis Tomus separatim a 2 fl.**

**Georch (Elias) Jus Patrium Liber I. et II. in  
8. 2. fl. 30. xr.**

**Elisa, avagy millyennek kell lenni az A:z-  
szonyinak. 8. 1 fl. 30 kr. Charta scripto-  
ria 2 fl.**

**Atalá, vagy két Indus' szerelme a' Lui-  
szianai Pusztákon. Kötve 45 kr. Posta  
papirosra 2 fl. Fényes papirosra 4 fl.**

**Svastics (Csétsényi Ignátz Magyarok' Histó-  
riája, III T. maj. 8. 1805. 5 fl.**

**Terzago (Nicol. Episcopi Narniens.) Instru-  
ctio practica de fidei Sacramenti poeniten-  
tiae juxta tenorem Doctrinae Ritualis Ro-  
mani. Accedit: Philippi Terzago C. E.  
Narn. Can. Instructio practica de Impedi-  
mentis matrimonii, dispensationibus, et  
earum executionibus, cum aliis adperti-  
nentibus juxta modernam Disciplinam in  
8vo. PP. II. a 1 fl. 45 xr.**

**Diarium Comitiorum 1805. cum Actis &c.  
Latine, & Hung. 2 fl. 30 xr.**

**Articuli Comitiorum Anni 1805. 20 xr. com-  
pact. 24 xr.**